





36

1929

14

17

ORDINIS IVRIDICI  
 IN  
 ACADEMIA VITEMBERGENSI  
 H. T. PRO-DECANVS  
 GODFRIDVS  
 LVDOVICVS  
 MENCKEN, D.  
 DIGEST· VET· PROF· PVBL· CVRIAE  
 PROVINC· SCABINATVS, CONSISTORII  
 ECCLESIAS· ET FACVLT· IVRID· NEC NON  
 IVDIC· DVCAL· IN MARCHIONATV  
 INFER· LVSAT· ASSESSOR  
 LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

*de*  
*trouulentia Romanorum erga debitores.*



ORDINIS IURIDICI  
IN  
ACADEMIA VITENBERGENSI  
H. T. PRO-DECANVS  
GODEFRIDVS  
LVDOVICVS  
MENCKEN, D.  
IURIS VET. PROF. PUBL. CARIAE  
SCABINATVS - CONSISTORII  
ET FACULT. IURID. NEC NON  
VIC. DUCAL. IN MARCHIONATA  
INFER. LVSAT. ASSessor  
LECTORI BENEVOLO

S T D





uam seuerè, quantaque cum  
truculentia contra debito-  
res procedere, ipsosque du-  
rum in modum tractare, o-  
lim licuerit, A. GELLIVS  
in Noct. Attic. L. 20. c. 1. fol.

143. sequentibus proponit uerbis : *Æris con-*  
*fessi, rebusque iure iudicatis XXX. dies iusti sun-*  
*to.* Post deinde manus iniectio esto, in ius duci-  
to ni iudicatum facit, aut qui pseudo eo in iure  
uim dicit, secum ducito, uincito aut neruo aut  
compedibus XV. pondo, ne minore, aut si uolet,  
maiore uincito. Si uolet, suo uiuio. Ni suo  
uiuio, qui eum uinctum habebit, libras farris in  
dies dato. Si uolet plus dato. Tertiis nundi-  
nis parteis secanto. Si plus minusue secuerunt,  
sine fraude esto. WESTERHOFIVS in Com-  
mentar. ad Terent. Phormion. Act. II. Scen. II.  
uers. II. p. 1119. allata, in tantum mutat, ut,  
pro rebusque, rebusq. pro qui pseudo eo, in iure  
uim dicit, quis. endo. em. iure. uindicit., pro  
eum, ante uocabulum sequens uinctum, em. pro  
in, quod antecedit dies, endo. ponat, singu-  
laque uocabula distinctis punctis maiusculis-  
que literis exprimat, et uerba, quae incipiunt  
tertiis nundinis cum sequentibus prorsus prae-  
( 2 ter-

termittat. Plura interpolat in libro suo singulari ad L. XII. Tabul. IACOB. RAEVARDVS Cap. II. X. qui, pro rebusque iure, aerisque debiti, pro deinde, dein, pro facit, faxit, pro aut qui pseudo eo, in iure uim facit, nemut quibus endo eo in iure uindex esit, pro eum praecedens uocabulum uinctum, em, pro libras, libram, pro indies, endodie, suggerit, et post uerba, si uolet plus, dato. inserit, ni cum eo pacit sexaginta dies in uinculis retineto. Trinis nundinis continuis in comitium prociato aerisque aestimiam iudicati praedicato. Tertius nundinis capite poenas luito, aut trans Tyberim peregre uenum ito, ast si plus esunt rei, surrogauit. Tandem in locum uerborum secuerunt, sine, substituit secuesunt, ne si. Quae praetermissa in GELLIO, et a RAEVARDO notata, obseruauimus, quoad tenorem quidem ille insperfit, sed genuina tamen uerba ex fonte non attulit. Quae mouerint RAEVARDVM ad tam insignem mutationem d. l. multis exposuit, et, si id quod res est dicendum, sat speciose, antiquitatisque scribendi non inconuenienter. conf. CORN. VAN BYNKERSHOEK in Obs. Iur. Rom. L. I. Cap. I. ubi uerborum L. XII. Tab. uim explicat. Interim, aeris alieni contracti ergo, debitores a foeneratoribus necti, siue in seruitutem operarum ob credita trahi, iam, ante L. XII. Ta-

*Tabularum* tempora, fœuiffe, Romanae hi-  
storiae scriptoribus affatim constat. Crudelitas  
tamen, quae subinde in nexos statuebatur, po-  
pulo Romano non una uice facta fuit inuisa. Sic  
bello Volſco imminente, ciuitateque ſecum  
iſſa diſcorte, ob odium inter patres plebemque  
ſagrans, cum Quidam magno natu, cum omni-  
um maiorum ſuorum inſignibus, ſe in forum  
proieciſſet, obſitaque ſqualore ueſtis foedior-  
que corporis habitus, pallore ac macie peremti,  
promiſſa barba et capillis oris ſpeciem efferan-  
tibus, compareret, omniumque in ſe miſericor-  
diam prouocaret, tantus Romae tumultus  
conciſatus, ut nexu uincti, ſolutique ſe un-  
dique in publicum proriperent, fidemque Qui-  
ritum implorarent. *LIVIVS L. II. cap. 23.*  
Nec omnino perdurauit haec miſera nexo-  
rum conditio in multum tempus. Cum enim  
*L. PAPIRIO*, ob aes alienum paternum, ſe ne-  
xum dediſſet *C. PVBLILIVS*, et *PAPIRIVS* li-  
bidine pariter ac contumelia inflatus, nexum  
formoſum Iuuenem ad deteſtabilem corporis  
uſuram, in vicem foenoris commouere non  
poſſet, ideoque uerberibus immerentem ini-  
que tractaret, ſeditione exorta, ille ſe in pu-  
blicum dedit, effecitque Patres ad Populum  
Conſules ferre iuſſiſſe: ne quis, niſi noxam  
me-

meruisset, donec poenam lueret, in compedi-  
bus aut in neruo teneretur: pecuniae creditae,  
bona debitoris, non corpus obnoxium esse.  
Quo facto *nexi soluti, cautumque in posterum  
ne necerentur.* LIVIUS L. VIII. c. 28. ALEX-  
AND. ab ALEXAND. *dier. genial. L. 1. c. 7.*  
Maxime sequiori tempore eis, qui infortunio,  
nec sua culpa, patrimonio, quo luerent cre-  
dita, orbatu fuerunt Romani Ciues, singu-  
lariter Lex Iulia prouidit, carceris seruiendi-  
que necessitatem cohibens, bonorum cessionis  
beneficium introducendo. *Tit. C. Tb. qui ex  
L. lul. bon. ced. Quam post haec ad Prouin-  
ciales productam L. 4. C. qui bon. ced. restatur.*  
Solebant enim in ipsis debitoribus discrimen  
notare, ut eorum, qui, non suo uitio, sed ali-  
unde, in uersuras inciderant, fama personaque  
seruaretur salua: Contra, qui culpa propria,  
facultates suas consumserant, eo seuerius pu-  
niebantur. In ipsa tamen hac contingente e-  
gestate eum, qui soluendo esse desinebat, ac-  
curate attendebant. Infamiam enim et exissi-  
mationis maculam eis tantum, qui sui erant iu-  
ris, iniurebant. Quo illud LIVIUS L. 2. c. 38.  
Attium Tullum, in concionis modum, oratio-  
nem, qua Romano Populo a Volscis illatam  
contumeliam iniuriamque ignominiosam ex-  
pro-



probrabat exorsum his uerbis inducentis, per-  
tinet: *Vos omnibus ciuibus peregrinis, tot fini-  
tims populis, spectaculo abeuntes fuisse? Vestras  
Coniuges, uestros liberos traductos per ora homi-  
num.* Dictam sententiam confirmat Solonis  
Lex, cuius *Diogenes LAERTIVS L. 1. Decre-  
torum philosophic.* meminit, Ignominiam quippe  
patrimonii sui uersuram facientis poenam esse  
debere. *Marcell. DONAT. in Dilucidat. in Aeli-  
um Spartianum in Aurel.* Eosdem olim *conta-  
mediari* in amphiteatro solitos fuisse, ex Spartia-  
no de constitutionibus Adriani loquente, refert  
*BVDAEVS ad. L. 7. §. 2. ff. depositi p. 198,* Erat  
enim *Roscia lege*, certus Decoctoribus in Spe-  
ctaculis assignatus locus, ubi conspici facile  
possent. Etiam qui fortunae uitio, non suo,  
in hunc miserum statum deuenerant, eidem  
interesse obligabantur. Inde M. Antonium,  
Decoctorem nec amplius censum equestrem  
habentem, *Philippica 11. c. 18.* licet ob patris  
culpam soluere non ualuerit, increpat *CICERO*  
his uerbis: *illud tamen audaciae tuae quod  
sedisti in quatuordecim Ordinibus, cum esset Le-  
ge Roscia decoctoribus certus locus constitutus,  
quamuis quis fortunae uitio, non suo decoxisset.*  
Quam legem *Rosciam*, in tantum, *AVGVSTVS*  
ampliauit, ut, ni cui ius annulorum esset, et ius  
se-

sedendi in quatuordecim Ordinibus (scilicet  
proximioribus Orchestrae) ni ipse pater et  
auus ingenui fuissent et census 400. Sestertio-  
rum. Idem tamen quoque illam in eo corre-  
xit, quod Decoctores poena theatri teneri  
non deberent, nec prohiberi loco sedendi in  
quatuordecim Ordinibus, quibus ipsis, parenti-  
busue Equester census unquam fuisset. Quae  
lex Iulia Theatralis nominata. PLINIVS *Hist.*  
*nat. L. 33. cap. 2.* et PLINIVS *Iunior. Epist. 19.*  
Romano iure *nexi* debitores, aut *nexu uincti*  
dicebantur. Imo ipsum nomen *nexus*, persona-  
nam, quae obligabatur, exprimebat, nec minus  
uinculum, quo constricta creditori erat, signi-  
ficabat. Ideo SIGONIVM in *Scholiis L. 2. p.*  
*7. n. 22.* qui LIVII *L. 2. c. 23.* uerba: *tota ur-*  
*be nexu uincti solutique se undique in publicum*  
*proripiunt*, ita corrigit, ut *nexi uincti* substitu-  
at, reprehendit FRANCISCVS ROBORTEL-  
LVS in *Conuenient. Supput. Liuian. Ann. cum*  
*marmor. Rom. P. II. cap. 34.* cum *nexu uincti* fu-  
erint appellati, quorum corpus, ob aes alie-  
nu n, erat traditum creditori in seruitium.  
Nam VARRO, Creditori *nexum*, dictum scri-  
bit, qui suas operas in seruitutem ipsi pro pe-  
cunia, donec soluerit, dederat. *Nexus* enim  
per aes et liberam fieri solebat, et ideo *nexum*,  
rem

rem suum nomen et proprium uocabulum  
habentem esse CICERO *L. III. de Oratore cap.*  
*40. pr.* et ius alienandi per nexum, siue per aes  
et liberam, notare IDEM *Orat. pro A. Caeci-*  
*na cap.* tradit. Cui correspondet, quae FE-  
STVS *Libr. de Verb. signif.* uerbo nexum est,  
habet. *Nexum aes apud antiquos dicebatur pe-*  
*cutia, quae per nexum, siue per aes et libram,*  
*obligatur.* Consequatur autem Creditor ius  
nexi siue corpus debitoris. Operis enim ser-  
uire obligabatur, securitatisque ergo *in ner-*  
*uum ire* iuebatur. Erat *neruus*, uinculum  
lignum, quandoque ferreum, in quo pedes  
coarctabantur, nonnunquam etiam Ceruix uin-  
ciebatur. FESTVS *d. l.* hac uoce. Eo re-  
spicit illud TERENTII *in Phormione Act. 4.*  
*Sc. 4. uers. 14.* *caeterum*  
*quum argentum repetent, nostra causa, scilicet*  
*in neruom potius ibit.* conf. PETR. NANN. *Alcmar. Syllog. V. miscel-*  
*lan. cap. 19. ad Terent. d. l.* et FR. TAVB-  
MANN. *in not. ad Plaut. Truculent. Act. 5.*  
*uers. 64.* Sic mancipium cum nexu coniungit,  
et usufructui contradistinguit CICERO *ad Cu-*  
*rium L. VII. Ep. 30.* inquit: *Attici te*  
*pro-*

) (

pro-

proprium esse scribis mancipio et nexu, me-  
um autem usu et fructu. Nimirum habe-  
bat Atticum studiorum suorum socium, adeo-  
que actu eius consuetudine fruebatur, qui Cu-  
rio alias totum se dederat. Quemadmodum  
uero obligatio, unde debitores nexi cognomi-  
nabantur, dominio opponitur, sic nexi tantum,  
quoad operas in seruitiis consistentes, ab alienati  
inque Creditorem translati intelligebantur.  
Sed progredi ulterius in hac amoena materia  
non licet, ne modum scriptionis hic faciendae  
excedam, potius id, quod res postulat, nunc  
afferam. Scilicet de uita et studiis nostri Can-  
didati CHRISTIANI GODFRIDI  
SCHOENEMANNI aliqua memoran-  
da ueniunt. Natus est ille Lipsiae Vrbe per Or-  
bem celebri, Parentibus bonis, probis ac honestis  
GOTHFREDO SCHOENEMAN-  
NO et Matre IOANNA ELISABETHA  
nata HESSIN die X. Iun. Anni 1703. Hi, post-  
quam Sacro ipsum ablui lavaero curassent, in-  
fantemque succrescere paulatim obseruarent,  
omnem operam ac studium, in eius iuuentutem  
bene erudiendam ac instruendam, impenderunt.  
Vnde, cum anni sufficere intelligerentur, ipsum  
Scholae Thomanae Praeceptorum fidei, curae  
et

et manufectioni concediderunt, ubi quoque  
celebratissimorum Virorum ERNESTI, LYDO-  
VICI, PEZOLDI institutione ita ipsi frui datum  
est, ut A. 1720. Zittauense Gymnasium cum  
fructu ingredi posset. In hoc conspicuorum  
Virorum WENZELII, MÜLLERI, MIRI,  
PIETSCHMANNI opera tales fecit studiorum  
suorum progressiones, ut, Oratione de Ori-  
gine et fatis Iuris Germanici conscripta solen-  
niterque habita Anno 1724. discedere et le Li-  
psiam recipere, Academicosque labores ag-  
gredi cum fructu posset. In hac celebratissi-  
ma Lipsiensi Academia Scholis Virorum Ex-  
cellentissimorum ac Consultissimorum GRIEB-  
NERI, RECHENBERGI, GEBAVERI, GAERT-  
NERI, et sigillatim, quoad praxin foren-  
sem, Collegiis KAESTNERI, THESEI, SCHLE-  
GELI diligenter interfuit, auditaque ac expli-  
cata in succum et sanguinem feliciter con-  
uertit. Nec minus Anno 1728. ab amplissimo  
Vrbis Senatu in numerum Notariorum publi-  
corum receptus matriculaeque insertus est.  
Ex re nunc sua putabat noster, post exantla-  
tos illos labores, qui Iuris studiosis incum-  
bunt, de praemio sibi comparando cogitare.  
Honoris igitur dignitatem, quae in Iure pro

Licentia dici fuit, acquirere constituebat. Ad nos, dum ueniret, desideriumque aperiret, ad examina consueta admissus est, inque illis egregie stetit, potestasque ipsi ilico facta honorem petitum capeffendi. Cum uero solennem Licentiati renunciationem publicum edendum specimen praecedat, futura die xviii. Augusti, Dissertationem *de eo, quod iuris est circa carceris obaeratorum des Schuld-Thurms poenam* bene conscriptam, meo sub praesidio in Auditorio Promotionibus Graduum honorumque iuridicorum adipiscendorum Sacro, publice tuebitur. Ut itaque Rector Magnus, Comes illustrissimus, Barones perillustres, Generosissimi ac nobilissimi studiorum Academicorum cultores ac aestimatores, sua praesentia, hunc nostrum actum festium honestare uelint, ea, qua decet, animi contentione, rogo ac obsecro. Dabam

Viteberg. d. XIV. Aug.

M DCC XXIX.

VITEMBERGAE

TYPIS HAEREDVM GERDESIANORVM.

ULB Halle

004 503 04X



3

TA 706 u1+r  
din







1929 14 17 36

ORDINIS IVRIDICI  
IN  
ACADEMIA VITEMBERGENSI  
H. T. PRO-DECANVS  
GODFRIDVS  
LVDOVICVS  
MENCKEN, D.  
DIGEST. VET. PROF. PVBL. CVRIAE  
PROVINC. SCABINATVS, CONSISTORII  
ECCLESIAST. ET FACVLT. IVRID. NEC NON  
IVDIC. DVCAL. IN MARCHIONATV  
INFER. LVSAT. ASSESSOR  
LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

*de*  
*fructuaria Romanorum erga debitorer.*